Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1269

Quelle:
Copyright:

quid ſit notaria Et quid notarius &c. Compendium eſt fuſioris Tractatus *de Notariatu* ſeu *Tabelloniatu*, qui inter *plurimos tractatus iuris*, quorum primus eſt *de Modo legendi abbreviaturas in utroque iure*, Sec. XV. et quidem pluries *Argentinae* prelum ſubiit, et ſubinde *Bartolo de Saxoferrato* tribuitur.

VI. *fol.* 52. Exemplar Bullae *Bonifacii* VIII. ad *Philippum Pulchrum Galliae* Regem, quae incipit: *Kariſſimo in chriſto filio. regi francorum illuſtri. Auſculta fili cariſſime precepta patris* &c. et abrupta eſt poſt medium in his verbis: *Cum quibus ſicut cum perſonis apud te — —*. Integram vide in Actis ſubnexis Hiſtoriae *du Differend d'entre le Pape Boniface VIII. et Philippes le Bel Roy de France*, quae *Petro* et *Jac. Puteanis* debemus, *Pariſ.* 1655. p. 48. f. et T. XIV. *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* ad an. 1301. §. 31. ubi tamen quaedam deſunt, ut notant *Puteani.*

VII. *fol.* 53. *Incipit Alanus de conplanctu nature.* Opuſculum hoc metris et proſa ad *Boethii* modum alternans Autoris patria *Inſulani Flandri*, inſtituto *Ciſtercienſis*, aetate Scriptoris Sec. XII. ob eruditionem dicti *Doctoris Uniuerſalis* integrum edidit cum X. aliis *Alani* tractatibus *Carolus de Viſch* ejusdem inſtituti anno 1654. f. Metra vero, quae numero IX. ſunt, emendatiora repraeſentavit *Polyc. Leyſerus* in *Hiſt. Poetar. med. aevi* p. 1045. Planctus porro inter alia vitia praecipue contra παιδεραστιαν dirigitur, unde in quibusdam *Codd.* legas: *Tractatus contra Sodomiae vitium.* In noſtro multa circa medium deſunt. Incipit:

In lacrimas riſus, in luctus gaudia verto,
In planctum plauſus, in lacrimoſa iocos &c.

Finit: *miſtice apparicionis dereliquit aſpectus.* Sed adhaerent *Rhythmi* ſine titulo, quorum initium:

Vix nodoſum valeo nodum denodare
Et indemonſtrabile monſtrum demonſtrare
Nude volens veneris vultum denudare
Que naturas hominum vult denaturare &c.

Atque hac chorda per quatuor paene folii columnas oberratur. Subſcriptum eſt: *Hij ſunt rigmi Alani*, et:

Alanum breuis hora breui tumulo ſepeliuit
Qui duo qui ſeptem qui totum ſcibile ſciuit